



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Peccatum indignationis membrum est superbiæ: quapropter damnabile & mortale dici debet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

Indignatio. 349

modi: nec omnino bonarum quæ habent huiusmodi
 passiones domitas. sed mediocrium, quæ habent re-
 ctam intentionem circa castitatem, mansuetudinem
 &c. & tamen vigent in eis passiones utpote non do-
 mitæ habitibus virtutum. earundem enim persona-
 rum est continentia & incontinentia. Contingit au-
 tem dupliciter. Vel ita quod passio huiusmodi præ-
 ueniat rationem pugnantem rectè sentiendo, ita quod
 antequam pugnet, cedit: ut sæpe accidit cholericis
 propter velocitatem cholerae, & melancholicis pro-
 pter vehementiam impetuosi motus. Vel ita quod
 ratione inde (hoc est ex parte superiore) & passione
 hinc (hoc est ex parte inferiore) pugnantibus tandem
 multiplicata & augmentata passio vincit. Vtroque
 autem modo si ad consensum deliberatum alicuius
 (quod est peccatum mortale) puta vindictam, forni-
 cationem, &c. homo trahitur, peccatum est mortale
 huiusmodi incontinentia: aliter peccatum veniale.
 Et licet Aristoteles in mulieribus nolit continentiam
 & incontinentiam recognoscere, quia quasi pueri se-
 quuntur facile absque pugna passionis: in mulieribus
 tamen Christianis propter lumen fidei quo spiritus
 concupiscit aduersus carnem, ac per hoc pugnat
 contra carnem, recognosco continentiam, quam
 spiritus vincit, & incontinentiam quam spiritus
 vincitur.

*Peccatum indignationis membrum est
 superbiae: quapropter damnabile
 et mortale dici debet.*

Indignatio (qua ex ira homo afficitur proximo
 tanquam indigno sua affabilitate, conuersationem
 & huiusmodi, peccatum est propter inordinatam
 passionem: & cõter veniale, procedens ex eo quod
 indignum reputat se à tali nunc &c. pati seu tractari.
Potest

Potest tamen esse sine peccato, quando scilicet ex iusto rationis iudicio procedit: iuxta illud Greg. Indignantur iusti, sed non dedignantur hoc est, non habentes affectum inordinatum. Potest & esse peccatum mortale quando usque ad subtrahendum aliquid de necessitate salutis impendendum proximo procederet, aut usque ad deliberatum contemptum aut odium proximi cresceret.

Contemnens auditum verbi Dei infidelis dicitur, & peccator mortalis.

Infidelitas Christiane fidei opposita priuatiuè sumpta (hoc est illius qui natus est habere fidem quia est homo, non tamen habet) tunc tantum est peccatum, quum negligit auditui fidei credere: iuxta verbum Domini, Si non venissem & loquutus eis non fuisset, peccatum non haberent infidelitatis. Contrariè autem sumpta, peccatum semper est maximum. Et distinguitur in tres generales species: scilicet paganos, hoc est eorum qui nullo pacto fidem susceperunt Christianam; Iudæorum, qui profitentur in veritate nostram fidem in figura, & negant illam in seipsa iam claram; & hæreticorum, qui sunt baptizati, sed pertinaciter errant in fide.

Et quamuis infinitæ sint hæresum species, iuxta infinitas erroneas sententias, quæ contra fidem possunt esse: de his tamen non oportet sollicitum esse confessorem quantum ad peccati notitiam, sed solum quantum requirit medicina adhibenda: ut non remaneat in aliquo errore, ut sanus fiat totus, ut non faciliè redeat ad vomitum &c. Incurritur autem infidelitatis peccatum tripliciter. Primo, ex intentione: ut quum quis in his quæ ad fidei necessitatem spectare nouit, ab Ecclesia dissentit, deliberatè credendo oppositum.

Et tunc